

Handwritten text at the top of the page, possibly a title or header.

Main body of handwritten text, appearing as bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is largely illegible due to fading and bleed-through.

B. C. D.

M. ANDREAE GVILIELMI LANGII 39, 3

SPECIMEN
THEOLOGICAE
POLEMICAE

*OBSOLETAS QVASDAM ET RECENTIORES
CONTROVERSIAS*

PROBLEMATICE EXHIBENS
CVM OBSERVATIONE QVADAM
IN EVANG. DOMIN.

AD

ERVENDAM EX TENEBRIS VERITATEM.



FRANCOFURTI ET LIPSIAE
APUD VIDUAM MEISELIANAM. M DCC XVI.

A. C. D.

M. A. V. D. E. A. E. G. Y. P. T. I. C. A. E.

SPECIMEN

THEOLOGICAL

POLYBICAR

COLLECTION

OF

PROFESSOR

OF

IN

AD

THE



AND



B. C. D.



Ræter vires, Candide Lector, tempusque extra grave munus mihi concessum est, totum concinnare polemicum opus. Res æ ardua, ut ad Viros politioris doctrinæ, sagacioris ingenii, perfectioris eruditionis & iudicii acrioris, tota pertinet, ita mundum quoque tot, quot numerare fere nequeas, repletum videbis polemicis scriptis. Ego, quantum ad meam tenuitatem concernit, iisdem, & imprimis quidem antiquiores controversias continentibus cum recentioribus semper delectatus fui, & huc usque delector, adeo, ut controversa jucundis, quæ seriis defatigatus summa cum animi oblectatione lego, perlego, relego, addere consueverim. Diu igitur apud animum habui constitutum, pauca, quibus inter alia hætenus in hæsi, in lucem edere, & cum salutaris belli amicis, solidiorem forte informationem combibere possem, communicare. Fateor, plura adhuc prelo me commendare voluisse, quia vero optime labori incumbens

A 2

sæpe

sæpe aliis muneris publici negotiis retardor, sicque a suscepto studio abducor, pauca hæc impræsentiarum sufficiant: Noli vero Tibi, Optime Lector, persuadere, ac si omnia, quæcunque hic loci tractantur, satis sufficienterque fuerint decisa, ita, ut ne ullus quidem ulterioribus objectionibus locus fuerit relictus. Minime. Antiqua (sit pro ratione voluntas) recoxi, recentiora apposui, brevissimis respondi, sententiam corroboravi, aliisque, aliter sentientibus, ad plus deliberandum occasionem præbui. De cetero æqui bonique præsens institutum consulas, nec, si quid hic reprehensione dignum reperieris, nisi te humanis innumerisque lapsibus exemptum penitus & immaculatum ostenderis, statim vituperes. Vale!

ARTICULUS I.

DE

CHRISTO.

QUÆSTIO I.

Num Christus sua obedientia sibi met ipsi aliquid promeruerit?

RESPONSIO.

Duo vocabula sunt in fonte N. T. a quibus adversarii perversæ causæ patrocinium petunt, utpote *διὸ* & *διὰ*. Prius invenitur in dicto illo classico *Phil. 2, 9* -- *διὸ καὶ ὁ θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε*. Posterius extat *Ebr. 2, 9* -- *τὸν δὲ βραχὺ τι παρ' ἀγγέλων ἡλαττωμένον βλέπομεν Ἰησοῦν, διὰ τὸ πάθημα τῆς θανάτου δόξης καὶ τιμῆς ἐσεφανωμένον &c.* Et sane primo quidem intuitu, præcipue

cipue extra contextum, vim causæ meritoriaë istæ particulæ utique habent, sicut æque latinæ, *per, propter, propterea*, eandem significationem sæpissime tenent. Enim vero evoluto ulterius sacro codice eandem particularum istarum significationem non semper ac ubique locum obtinere videbimus, quemadmodum sacri textus scrutatoribus res notissima est, præter causam meritoriam easdem quoque haud raro finalem, sæpius ratiocinationem, qua aliquid ex altero colligitur, denotare. Confer. *Gen. 2, 23, 24. Ps. 110, ult. Marc. 7, 28. 29. Rom. 2, 1. 2. Cor. 4, 13. c. 6, 17. Eph. 4, 8. Ebr. 1, 9.* Hæc ad particulas. Quantum ad vocem meriti attinet, illa utique ambigua est. Non dicam jam de ea, quatenus Bellarminus cum fœderis sociis illam ad mortalium opera, quod in SS. nunquam factum memini, accommodat. Verum id tantum cuilibet ob oculos pono, præter Ecclesiasticos scriptores, profanos etiam autores sæpe voce mereri, pro consequi uti, quod ap. *Plin.* variosque Patres, *Ambros. Gregor. August. Hieron.* aliosque reperitur, cum quo *Gregorii* dictum: *O felix culpa, qua talem meruit redemptorem!* perquam scite convenit. Si igitur vocula mereri isto significatu ueniat, Christum sibi ipsi obedientia sua quid meruisse numne dicere nefas? Sane vocabula *διὸ & διὰ* ipsimet nostrates de consequentia exponunt, *διὸ* illud non ἀτιολογικῶς, sed συλλογιστικῶς sumi clare innuentes; ad *διὰ*, non nisi viam ad gloriam perueniendi, neutiquam meritum indicari, contendentes. Quæ responsio sicut ex parallelismo biblico satisfacere aliis dubitantibus forte queat, ita ego alia aliaque, quæ excipere possem, haberem. Proinde illorum responsum magis arridet, qui contextum penitus inspicientes adversarios connexionem ipsa convincere satagunt. Quod ergo ad prius dictum attinet, attentiori, ut ego puto, oculo, ad annexum vocabulum *ἐχαρίσατο* respicitur, quod, quo magis omne alias meritum excludit, eo minus h. l. hujus quid indicare valet; quemadmodum æque eorum explicatio

placet ac perplacet, qui in posteriori dicto adversarios de elencho compositionis & divisionis commisso justo accusant, verba *διὰ τὸ πάθημα τῆς θανάτου* ad priora, non posteriora, referenda esse probantes, ut itaque, hic sit sensus: Eum, qui paulisper inferior factus est Angelis propter passionem mortis, exaltavit. Non vero ita: Eum, qui paulisper inferior factus est angelis, propter passionem mortis exaltavit. Minus accurate sic distingvimus. Et huc omnia redire debent, cum contextus, nec solæ particulæ *διὸ* & *διὰ*, omni exceptione sit maneatque major.

QUÆSTIO II.

Num Christus, Salvator totius mundi, ipsos inferni dolores fuerit passus?

RESPONSIO.

IN antecessum moneo, tritas has controversias nunquam satis posse perpendi; Et si tu post multa secula eas denuo tecum reputaveris, recogitaveris, semper, quod meditari possis, habebis. Quapropter pristinorum ruminationem tamdiu noli ridere, quamdiu ad omnes difficultates quovis modo se offerentes abunde respondere, omnibus satisfacere, & profundissimum mare exhaurire te minus cognoveris capacem. Hæc *ὡς ἐν παρόδῳ*. Respondent Theologi ad allatam quæstionem: Sustinuit Christus istos dolores qua substantiam, non qua accidentia. Passus est æquipollentes, non in *τῶν* damnatorum, sed in monte Oliveti & ligno crucis. Verum enim vero permittant isti Summi Doctores & Gamalieles mei semper Venerandi, ut ex iis quæram: Anne solatii plenior & SS. convenientior sententia sit, dicere, Christum eandem sustinuisse pœnam, quam nos perpeti debuissimus? res enim æquipollens non statim videtur eadem cum altera esse. Nisi igitur Christus, quod cum eorum pace, exercitiique gratia, dixerim, eandem, quam nos sustinere debebamus,

mus,

mus, perpeffus fuerit pœnam, sed æquipollentem, non eandem, sed æquipollentem, fustulit ipse. Jam vero *Ef. 53, 5.* dicitur מוסר שלומנו עליו, castigatio pacis nostræ, seu pacificatio- num nostrarum super eum, Luth. ita: **Die Straffe /** quam merueramus, vere infernalem, non: **Dergleichen Straffe lag auf Ihm / Mein.** Instantiam dabo, (si anseri olores interstrepere liceat) qui si sic dicerem: Christus non eandem, quam lapsu perdideramus, sed tali æquipollentem nobis promeruit salutem? Num hæc locutio toleranda? Locus, tempusque, pro mea opinione, non statim æquipollentiam, seu quid alteri simile faciunt. Quare igitur non potius sic: Christus est eandem pœnam, quam sustinere nos debuissimus pro meritis infernalem, quanquam non ratione loci atque durationis, passus. Ubi enim eadem substantia rei, res eadem quoque est, ob accidentia forte non statim in æquipollentem mutanda. Id videntur velle Theologi, dicentes, Christum non extensive, sed intensive passum fuisse dolores inferni. Quidam distingvunt inter mortem æternam essentialiter acceptam, ratione immensitatis cruciatuum, & accidentaliter sumtam, ratione durationis æternæ. Quidam inter mortem æternam actu & potentia distingvunt. Res eodem recidit et conclusum istud: Christus qua substantiam passus est infernales dolores, tandem post se relinquit. Post multas deliberationes mortem æternam & æquipollentem pœnam æquivalere constabit. Quoad verba forte differentes convenimus in re; Res tamen solatii plenissima est, dicere, Christum ipsos dolores inferni sustulisse, utpote omnem removens fluctuationem. Nec hic excipi debet: Unius hominis triduanam mortem, passionem paucarum horarum infernalem minime sufficere ad tollendas æternas pœnas tot millium hominum, quandoquidem Christi Θεανθρώπου infinita majestas addit passioni & morti pondus infinitum. Non ex duratione passionis, sed personæ patientis majestate pretium æstimes.

QUÆST.

Secundum quam naturam Salvator exinanitus fit?

RESPONSIO.

Quæcunque natura mutabilis est, juxta eam Christus exinanitus & exaltatus est; Atqui humana natura, Ergo. Objici vero posset: Christus assumpturus carnem sponte se exinanivit, at assumpturus eam, nondum assumserat, ergo juxta nondum assumptam exinaniri non poterat, per consequens factum secundum naturam divinam. Paulus ad *Phil.* 2. dicit, Christum exinanitum depositione Deiformitatis. Colligo: Si Christus se exinanivit, formam Dei deponens, sequitur, exinanitum esse juxta divinam naturam. Prius est per dictum Paulinum verum, quidni posterius? si vel maxime distinguas inter id, quod alteri per se, alteri vero per unionis gratiam competit, satis tamen non intelligo, quomodo humana natura tantum deposuerit Deiformitatem, nec simul divina, cui præcipue Deiformitas tribuenda, nec illa hac semper fuerit usa? Aut forsitan nudam finxeris occultationem? Quid si minimum dicerem, Christum deposuisse formam Dei juxta divinam naturam non per se, sed unionis gratiam. Ast sic quoque argumentor: Quæcunque natura se plenario usu abdicavit majestatis divinæ, illa se exinanivit. Atqui divina natura &c. Ergo. Et nunc vellem fere dicere, divinam naturam per se, humanam vero per unionem formam Dei deposuisse. Porro: Secundum quam naturam Christus formam servilem assumpsit, juxta eam est exinanitus, Atqui secundum divinam &c. Ergo, cum non dixerim, Christus juxta id, in quo exinanitio constitit, exinanitus est. Ulterius colligitur: Quodcunque excelsum fuit, id potuit tantum humiliari, cum infimum ex eo, quod infimum est, exaltari quidem, non exinaniri queat, Atqui divina natura &c. Ergo. Objicitur equidem, naturam divinam exinaniri neutiquam potuisse, ratio est, quia ea sit immutabilis. Ratiocinium sic fluit: Quæcunque natura est immutabi-

mutabi-

mutabilis, ea neque exinaniri, neque exaltari potest. Atqui natura divina &c. Ergo. Sed minime id pro rato admitto. Idem per idem probatur. Ea, quæ nostro conceptui non respondent, quare in re ipsa sic sese non haberent cessante omni contradictione? Sic e. g. Deus justus & misericors est diciturque, & ut nobis pro imperfecto concipiendi modo rem sistimus, Deus mutabilis est, mox misericordia motus præmia largiendo, mox ira inflammatus puniendo, nec tamen mutabilis est Iac. I. S. Sacra Deum punire volentem & postea iram in misericordiam mutantem exhibente quis in imperfecta vita & debilitate hac mortalium talia absque ulla mutabilitate concipere valet? Sane mutabilitas nostri status quotidiana immutabilitatem Dei apprehendere nescit, licet Deus nullo modo in se mutabilis sit. Sic natura divina nonne se exinanire potest absque mutabilitate, divinitatem everte-
 tente? Nos pro debili nostro conceptu nullam equidem h. l. possemus concipere immutabilitatem, sed quid prohibet, quin θεοπρεπῶς exinanitio & immutabilitas, sicut τὸ punire & præmia largiri, punire velle & poenitentia duci, simul consistere queant? Ardentissimus amor in homines hac nunquam sat miranda humilitate majori cum fructu exponi valeret. Enim vero sic est. Nunquam natura divina mutari valet, proinde Christum juxta eam exinanitum exaltatumve nunquam docendum est. Quicquid mutabilitatis in Christo inveneris, subjecto, cui de jure competit, adscribas, nec ut ἀσάρκον verum ἐνσάρκον Salvatorem considerare debes. Postremum inter exinanitionem & incarnationem probe distingvas; Male illa per hanc describitur, aut hæc pro illius synonymo habetur. Quo notato discrimine varios solvere nodos penitusque tollere forte non impossibile erit.

QUÆSTIO IV.

In quem finem Christus ad inferna descenderit?

RESPONSIO.

UT spiritibus infernalibus victorem sese ostenderet, deque iis potentissime triumpharet. Confer Os. 13, 14. 1. Cor. 15, 55. Col. 2, 15. Zach. 9, 11. 1. Petr. 3, 18. 20. Patres & fratres misericordiæ insani ad locum Petrinum confugiunt, spem liberationis ex inferno damnatis relinquentes. Dicunt enim τὸ ἐκλήρῳξεν meridiana clarius luce redemptionis futuræ argumentum esse. In quem finem Christus damnatis alias prædicasset? cum notum sit ex translatione LXX & N. T. τὸ κηρύσσειν concionem ad pœnitentiam significare. Colligunt: Cuicumque pœnitentia prædicatur, illi per pœnitentiam vincula servitutis rumpere locus conceditur. Atqui damnatis &c. Ergo. Notetur autem, LXX interpretes id verbum quoque de concione exitii usurpasse. Inde τὸ κηρύσσειν tanquam genus pro re substrata contrahendum autumo. Accuratus igitur sic loquamur: *Er hat die Geister gestrafft / non: Er hat geprediget.* Qua occasione haud prætermitto, vocem hebræam הַנֶּשֶׁפֶת non absolute infernum, sed plerumque sepulchrum aut statum morti proximum denotare, ut contra græcum ᾗδης in N. T. semper πῆρ damnatorum. Et profecto optarem, magis determinatam imprimis τῶν הַנֶּשֶׁפֶת significationem in V. T. ab eruditis aperiri, quandoquidem interpretum multi in explanandis his illisque S. S. locis ad הַנֶּשֶׁפֶת aut prorsus obmutescunt, aut varias ejus significationes enarrantes genuinum pro substrata materia sensum transiliunt, aut aliis impliciti difficultatibus textui vim afferunt. De cetero parum Christianæ doctrinæ ii imbibisse videntur, qui contra apertum S. S. assertum damnatorum cruciatus terminatos volunt. Plus quam puerilis exceptio est, inter peccatum temporale & æternam pœnam nullam esse proportionem, cum delicti gravitas tum ex objecto, quia in Deum committitur,

titur,

titur, qui est infinitum bonum, tum ex effecto eluceat satis. Ergo inter pœnam æternam & peccatum in Deum æternum commissum utique datur analogia. Peccator in æternum Numen peccat, æternam gratiam rejicit, meritum Christi æternæ efficaciam respuit, æternum, si vita terminis careret, haud dubie peccaret, nonne hic æternos meretur dolores? Infinita misericordia Dei ad speciem Terministæ illi utuntur, haud tamen absque nefando ejusdem abusu, cum infinita misericordia justitiam Dei infinitam tollere nequeat. Et si homo in regem, iterum rusticum delinquens ratione personæ, quam offendit, diverso modo punitur, imo homo sæpissime ob offensionem mortalis ad perpetuos damnatur carceres, quid, quæso, Deum æternum offendenti fieri debet? Alterum, quod perversi isti urgent, ratione pugnantes, id est: Si quodlibet peccatum æternam mortem meretur, sequitur, innumera peccata impunita dilabi, per consequens, justitiæ divinæ non semper fieri satis. Quod nexum potius gladium, quo ipsi se jugulant, quam aliis damnum inferunt, judico. Fluit quippe exinde illud conclusum. Ergo eo minor spes redemptionis & liberationis relinquatur damnatis.

ARTICULUS II.

DE

CREATIONE.

QUÆSTIO I.

Quare Deo Patri creatio tribuatur?

RESPONSIO.

Communissima responsio hæc est, quia Deus Pater in opere creationis se maxime manifestavit. Eam legeris rationem non in catecheticis modo opusculis, verum etiam in compendiis systematibusque solidioribus quandoque. Mirantur alii sic respondentium ausum

vel potius rident. Quanquam enim in secundam & tertiam SS. Trin. Personam ea responsio alio respectu quadret, siquidem Filius Dei sibi carnem univerit inque ea manifestarit sese, adeo, ut hoc modo redemptionis opus neque Patri ne S. Sancto sit tribuendum, minime tamen dici posse, qua ratione Deus Pater manifestaverit se in creatione? Quæritur igitur, num Personam suam in corpore assumpto ad extra forte stiterit? at hoc nullus facile affirmabit. An vero frequentius Patri creationis opus tribuatur, quam Filio & Sp. S. in S. Sacra? at hoc idem per idem esse videtur. Minus enim apte ad quæstionem: quare Patri creatio in specie tribuitur? responderetur: quia ipsa in S. S. eidem frequentius, quam ceteris Personis adscribitur. Nam hic denuo quæreretur: Sed quare hoc? ubi fortasse, quia in eo opere se maxime manifestavit, summo cum fastidio reiteratum audieris. Quod ad me attinet, fateor, toties eam responsionem inculcari, quoties doctrina de creatione & quæstio formata in medium proferatur. Nunquam vero rationem additam percepi, quare id fiat, aut quomodo Pater se manifestarit? Aut igitur istius rei fundamentum habent Theologi, aut minus. Si hoc, quare non potius talia repudiamus? Si illud, ne Laici fundamento destituantur, eo ipso, quo manifestationis mentio facta, summe necessaria explicatio statim adjicienda erat. Manifestationem alicui ostendere, nec tamen, in quo consistat, commemorare, manifestatio occulta merito dicitur, h. e. nulla. Ego medium tenens existimo, responsum de manifestatione redditum neque solidum in se, neque tamen statim absolute improbandum esse. Quidni manifestatio ad omnipotentiam divinam efficacissimo verbo mandati expositam referri posset? Ad quæstionem: Cur Patri creatio tribuitur? haud igitur prorsus incommode respondetur: quia in eo opere se maxime ille manifestavit, modo laicus, quomodo hoc factum? distincte noverit, omnipotentissimo videlicet mandati verbo,
Gen.

Gen. 1, 3. Nam si vel maxime quis superiori responso inniti velit, quo frequentius opus creationis Patri tribui dicebatur, præter opinionem forte, non trutinato satis canone sacro, omni fundamento careretur, quandoquidem veritati maxime consentaneum est, quod magnus Theologus loco quodam scriptorum suorum dicit: *Sponsione fere certare ausim, plura in sacris loca esse, ubi Filio creatio, quam Patri adscribatur. Quod rimari facillimum. Quapropter fallunt fallunturque isti Theologi, qui pro adstruenda illa sententia fundamentum in S. S. quærunt. Placet autem magisque arridet eorum ad superiorem quæstionem data ratio, qui ad appropriati operis cum personali proprietate Patris convenientiam primario h. l. respiciendum esse contendunt. Ut enim creatio, inquit ille, primum omnium operum divinorum est, quod nullum aliud antecedere potest, redemptio secundum, cum nihil redimi possit, nisi fuerit ante creatum; sanctificatio tertium, cum id sanctificetur, quod non creatum tantum antea, sed & redemptum est; ita hæc ipsa ordinis ratio & in Personis divinis occurrit, dum primum opus primæ Personæ, secundum secundæ, tertium tertiæ appropriatur, atque adeo opera illa ad extra sunt quasi speculum ordinis intra Personas divinas obtinentis, „„„ Cum quibus coincidit, quando istam appropriationem per ordinem operandi in SS. Trinitate & prioritatem hujus operis exponunt.*

ARTICULUS III.

DE
ANGELIS.

QUÆSTIO I.

Num Angeli boni sint ministri hominum?

RESPONSIO.

EOs ex ordinatione Dei & constitutione ministros hominum salutare nullus dubitarem. Et hoc quidem solo illo dicto Ebr. 1, 14. nixus: οὐχὶ πάντες εἰσὶ

εἰς λειτουργικά πνεύματα, εἰς διακονίαν ἀποσελλόμενα διὰ τῶν μέλλον-
 τας κληρονομεῖν σωτηρίαν. Conf. *Αποκ. 19, 10. c. 22, 8.* ἄγγελος
 λέγει μοι. Ὁρα μή. σύνδουλος σὺ γὰρ εἰμι &c. Et Veteres exinde ma-
 gni ponderis argumentum contra Pontificios Angelis divinum
 cultum exhibentes formarunt, ira colligentes : Quicumque
 est minister & conservus meus, ille a me non est adorandus,
 Atqui angelus creatus talis est, Ergo. Accedit finis, in quem
 angeli inter alia creati & boni ordinati sunt, scilicet ut post
 laudem Creatoris ejusdemque cultum mandata sua promte ex-
 equantur, hominibus inserviant, contra Satanam quævisque
 pericula eos protegant, defendant. Dixeriſ : Servire, obe-
 dire &c. talia sunt, quæ Angelis ratione Salvatoris, cui ser-
 vire tenentur Matth. 4, conveniunt? Resp. Hæc mihi nimis
 puerilis videtur objectio, cum constet inter omnes, posito uno
 alterum non statim removeri, ut finis descriptus luculenter
 monstrat. Objeceris porro : Dicuntur Angeli missi in mini-
 sterium propter eos, qui hæreditaturi sunt salutem, non ve-
 ro, in ministerium ipsorum hæreditantium? Resp. ἀκριβεία ea
 parum soliditatis, ut ego sentio, in se habet. Quandoqui-
 dem inter dictas phrasas non multum discriminis, si eas soli-
 cite ponderemus, intercedit. Dabo simile : Princeps sive rex
 quidam ministrum suum mittit ad hos vel illos subditos.
 Jam absolute non sequitur, minister Regis & subditorum
 statim minister est. Si vero princeps eum in ministerium
 propter illos (*ihrent wegen*) mitteret, inque hunc finem
 ablegaret, constitueret, ordinaret, quis, quæso, dixerit,
 eundem propterea non missum in eorum ministerium?
 cum τὸ propter eos cum addito ministerii verbo satis indi-
 cet, quibus ministrandum? Ita sane foret absurdum, dice-
 re, impossibile esse, ejusmodi ministrum regium posse sub-
 ditis servire, cum talia officia hero præstare debeat, Alia
 servitia Domino alioque modo, alia officia subditis diversa-
 que ratione declarat, ita, ut diverso quoque modo regis ac
 sub-

subditorum vocetur minister. Ad exceptionem, loco τὸ
 servire commode τὸ assistere usurpari posse, respondeo,
 quod stare & assistere in Sacris ministerium æque denotent,
 inde nulla differentia inter stare & ministrare quærenda.
Dan. 7, 10. Neque putandum, ac si quidam angelorum ab
 ejusmodi servitiis fuerint excepti, *Conf. 1. Reg. 22, 13. Job. 1,*
6. c. 2, 1. Ebr. 1, 14. quibus tamen ne minimum quidem me-
 rentur. Quod vero in vitæ in-pro- & egressu hominibus
 angeli & quidem in tribus istis statibus hierarchicis vere
 serviant, abunde e S. S. probari potest. vid. *Matth. 18, 10. Ps. 34,*
8. & 91, 11. 12. Luc. 16, 22. Deuter. 33, 2. Gal. 3, 19. Luc. 1, & 2.
Iud. Epist. v. 9. 1. Cor. 11, 10. 1. Tim. 5, 21. Dan. 10, 13. c. 6, 22.
Gen. 24, 7. Job. 1, 10. utpote quibus in locis actus ministra-
 torii angelorum satis delineati sunt, inde sequens necesse ra-
 tiocinium: Quicumque actus ministri, e. g. in viis custodi-
 re, super duabus palmis portare, rem familiarem observa-
 re &c. apud homines subit, ille (sit qualicumque modo)
 mortalium est minister. Atqui angeli per dicta allegata &c.
 Ergo. Conclusum nihil ignominia angelis imponit, quan-
 doquidem eum in finem quoque Deus eos ordinavit, qui
 omni tempore voluntatem ejusdem perficere summopere
 lætantur. Deus certe ter Optimus terque Maximus Filium
 suum unigenitum, nobis ut ministret, dedit, quomodo An-
 gelorum ministerium res ipsis indignissima erit? Hæc talia
 sicco pede præterire non potui, quia multi eorum, qui re-
 cte sensuri sunt, ministerium angelorum circa homines aut
 in dubium vocant, aut prorsus negant, angelos mortalium
 ministros dici non posse publicis scriptis docentes. Et mi-
 ror, solidiores Theologos h. l. prærogativam Salvatoris ex-
 clusive urgere, adeo, ut posito ministerio Christo Domino
 præstando ne ullus quidem locus aliis officiis alio & alio
 modo declarandis relinquatur.

ARTI-

ARTICULUS IV.

DE

VOCATIONE.

QUÆSTIO I.

Num Deus omnes homines ad gratiæ gloriæque regnum vocarit ?

RESPONSIO.

Non omnibus actu & solemniter Evangelium prædicatum est, neque sic omni tempore; nihilominus tamen Deus ita semper a condito mundo homines vocavit, ut gratiam ejus si voluissent, potuissent accipere. Quod cum semper factum, factum vero cum solemnitate non fuerit semper, res a modo distingvi debere videtur. Vocavit Deus homines semper, & nunc vocat, & si minus solemniter modo. Ne vero tempus, quo vocatio facta non sit, cogitetur, varii utique vocationis modi perpendendi sunt, ita, ut si vel maxime hoc vel illo modo hoc vel illo tempore, mortales a Deo efficaciter tractos negaveris, semper tamen quis existat, quo homines ipse clementissime invitarit. Vocantur autem mortales mox immediata prædicatione, mox lectu audituque verbi divini, partim per famam, partim per efficacem internum impulsus. Cum igitur nullum unquam extiterit tempus, neque postea futurum, quo Deus ne ulla quidem ratione modo dicta vel alia quapiam ipsi cognita homines vocet, hoc modo dici posse arbitror, omni tempore omnibus & singulis gratiam Numinis oblatam esse, quanquam non statim solemniter, certo tamen modo & re ipsa. Hinc talis vocatus impulsui obediens præbens aures Deum porro in
via,

via qua pergendum, habebit fidelem ducem comitemque. Frustra dubium movetur: Quid homini Gentili, cupiditate verum Deum agnoscendi flagranti, nec tamen occasionem ad eum perveniendi habenti, agendum sit? est enim, ut cum Theologo quodam nunc inter cælites agente loquar, prorsus non casus dabilis, tam efficaciter vocato ulterioris occasionis verum Deum agnoscendi januam occludi posse.

ARTICULUS V.

DE

ELECTIONE AD SALUTEM.

QUÆSTIO I.

Num decretum electionis istius divinum absolutum, an conditionatum sit?

RESPONSIO.

Datur tertium. Est respectivum. Deus cum ex hominibus quosdam ad vitam æternam elegerit, respexit ad meritum Christi perseverante fide apprehendendum, tanquam causam externam impulsivam vid. *2. Theff. 2, 13. Eph. 1, 4. Iac. 2, 5. 2. Tim. 1, 9. Decretum electionis*, inquit Theologus insignis, neque absolutum est, cum sit factum ad prævisum meritum Christi, fide apprehensum *2. Theff. 2, 13.* neque conditionatum, quia Deus non elegit homines, si credant, sed qui credant. At objici posset ex *Marc. 16, 16: Quicumque crediderit, salvabitur.* Numne hic loquendi modus conditionem involvit? Mutatio illorum verborum in sequentem locutionem: Homo, si & quatenus crediderit, salvabitur, quid habet inconvenientiæ? Quousque hæ propositiones Deus elegit homines, qui credunt, & Deus constituit salvare homines, si crediderint, sunt distinctæ? Vellem fere quavis ratione certare, innu-

C

innu-

innumeras locutiones ejusmodi talem æque explicationem absque violentia textus patientes in Sacris reperiri. vid. *Iob.* 3, 36. c. 6, 47. *Act.* 13, 39. in quibus dictis locutiones de fide per conditionem exponibiles inveniuntur. Conf. *Act.* 10, 35. ubi hæc extant: *Qui* Deum timet, & operatur justitiam, ille ipsi acceptus est. Nonne eodem sensu retento dicere possem: Homo Deo gratus est, si ipsum timeat &c? *Ioël.* 2, 32. legis sequentia verba: Omnis, qui invocabit in nomine Iehovæ, eripietur, anne homini liberationem sub conditione invocationis seriæ promitti, forte obscurum? Quid igitur impedit dicere, homines Deum ad salutem elegisse, si credant? quibusdam puriorum fidem electionis conditionem constanter appellantibus. Colligo: Quodcunque decretum conditio certa ingreditur, illud quoque est conditionatum, Atqui decretum electionis fides (dicta electionis conditio) ingreditur, Ergo &c. Major sua radiat luce, minor ex sententia quorundam Theologorum fluit, an forte negatur conclusio? Theologi certo modo decretum electionis absolutum statuunt, quidni ego certo modo id assererem conditionatum? Quid illa sibi verba volunt: *Si* confessus fueris ore tuo Dominum Iesum & (s) credideris in corde tuo, salvus eris, *Rom.* 10, 9. 10. Quid ad hæc commentatores? num is in iudicium vocaretur, qui ea sic elocutus fuerit: *Salvus eris, si credas? si hoc, quare non & illud: Deus ad salutem homines elegit, si credant? At vero, ut mentem serio explicem, ego vellem distingvere inter voluntatem Dei conditionatam & conditionatum decretum. Prior conceditur, posterius minus. Voluntas Dei alia est simplex, Ps.* 33, 9. *115, 3. Rom.* 4, 17. quam juxta non vult nostram salutem, alia est conditionata seu determinata, qua quid vult sub certa quadam conditione, ut h. l. salutem hominum sub fidei in Christum perseverantis conditione. Dixeris: Qualis voluntas, tale decretum, quia voluntas est decretum, Atqui volun-

voluntas est conditionata, Ergo &c. Resp. Non confundendum est decretum cum voluntate Dei antecedente, quæ conditionem admittit. Non igitur valet consequentia: Fides ante actum prædestinationis considerata in voluntate Dei conditionis nomine venit, Ergo in decreto ipso conditio reperitur. Decreverat Deus, eos salvare, quos perseveraturos in fide prævidit, sed absolute (si absolutum τῶν conditionato opponatur) & hoc est decretum, scilicet inconditionatum. Distingvendum igitur inter conditionem & rationem. Hæc, non ea, ad decretum referenda. Est & manet decretum respectivum, quo de in thesi in systematibus plenius agitur. Colophonis loco sequentia volui addere: Aut Deus in Electis aliquid respexit, aut minus. Si hoc, juxta beneplacitum eos absolute elegit, quod falsum, si illud, tantum respexit fidem, quod verum. Sed quid placuit Deo in iis, ut ipsis fidem daret? Resp. Apprehenderunt media gignentia & stabilientia fidem. Sed quid eum movit, ut media apprehendendi vim concederet illis? Resp. Gratia movit. Sed quid eum movit, ut daret gratiam? Resp. Beneplacitum. Ergo cuncta ad beneplacitum Dei recurrunt &c. Sic colligunt perversi, quos ex modo dictis iisque, quæ solida subministrat Theologia, facili negotio poteris confutare.

ARTICULUS VI.

DE

BAPTISMO.

QUÆSTIO I.

Quænam in Baptismo sit materia cœlestis?

RESPONSIO.

Theologos tergiversantes quasi & diverse admodum loquentes forte miraris, nullum inde difficultatibus locum concedens. Equidem quot systemata evolvis, tot

C 2

fere

fere sententiarum divortia tibi obvia erunt. Primum in ipsum materiæ vocabulum multi invehuntur, sacratissimo videlicet negotio minus aptum. Enim vero hic articulus de Baptismo, quantum ego memini, primus non est, cui ejusmodi vocabula accommodantur. SS. Trinitatis profecto Mysterium, in quantum acroamatica doctrina id nobis sistit, talibus terminis depingitur, qui crasse iisdem acceptis num satis ubique in id quadrent, videant illi, qui accuratiorum solidiorumque nomen jure merentur. Per se hic & alibi, quo materiæ terminus in usu, clarum, materiam aliam esse proprie, aliam vero analogice sic dictam. Vel puero fat. Deinceps varias reperieris de re cœlesti (fere materia dixerim) opiniones. Hic eam facit Dei verbum, ille sanguinem Christi, hic S. Sanctum, ille SS. Trinitatem. Nec hi sibi sane unquam contrarii futuri, nisi ipsi loquerentur remote. Diserte quidem S. Sacra rem baptismi cœlestem non exprimere dicitur, sed quid verba *Iob. 3, 5.* sibi velint, hoc modo ignoro. *Ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος* quid denotat, num particula ex & hujus loci materiæ signum? an potius pro re nata quiescens? Dixeris: S. Sanctus semper applicat media salutis, ut in S. Cœna & in verbi divini prædicatione videre aut potius intelligere est. Respondeo: quid tum? S. Sanctus semper applicat media, se non una eademque, neque uno eodemque modo. Alterum alterum non tollit. Idem Spiritus est, qui nos vocat, illuminat, convertit, sanctificat &c. quid prohibet, quo minus idem in baptismo & per eum operetur? Quid si ego ex S. Sacra demonstrarem, S. Sanctum magis in baptismo, quam S. Cœna sese manifestasse? Objeceris: Medium tenens statuerem eam materiam aliquid Christi? Resp. Nec id ego tuto assererem, quandoquidem, diviso Christo, quænam ipsius pars huc trahenda dices. Verbum Dei neque Creator est, neque creatura, sed aliquid Dei esse dudum doctum publice, & insigni contra adversarios usui inservit;

num

num vero in baptismo de re cœlesti ita loqui liceat, me sane latet. Quapropter re iterum iterumque perpensa dicere nullus dubitarem: Rem cœlestem baptismi neque tantum SS. Trinitatem, neque tantum Christum, neque Christi sanguinem, neque S. Sanctum, neque verbum Dei, dico tantum, esse, sed hæc omnia simul sumta. Num sententia hæc ad orcum releganda? Non puto. Audiamus Calovium *T. 9. Syst. p. 1662. Materia baptismi cœlestis, si integre definienda sit, est SS. Trinitas, Deus P. Filius Dei, Christus Θεάνθρωπος, ad cuius integritatem non divina tantum, sed etiam humana natura spectat. Quemadmodum ad hanc omnino etiam pertinet sanguis, cuius particeps factus est nostri causa, nec non S. Sanctus: Quæ res cœlestis una voce dicitur verbum & nomen Dei, h. e. ipse Deus Trinus & Unus Pater, Filius & S. Sanctus. Et hæc fluunt indubitanter ex unione, quam insolubiliter inter se habent.*

ARTICULUS VII.

DE

F I D E.

QUÆSTIO I.

Num aliena fides alteri profit?

RESPONSIO.

VArias hic loci hæreticorum erroribus quam proximas pensitare quæstiones, animus erat, v. c. num fides ex contrito corde procreetur, adeo, ut sine hujusmodi ortu pura sit Chimæra? item, num fides, quatenus Christum apprehendit, operosa esse debeat, i. e. per opera sese exerere? num talis fides cum vitæ justitia debeat conjungi? num assertum, Dei substantiam cum hominis substantia spiritualiter uniri per fidem, falsum & rejiciendum ut erroneum? At cum quilibet errores crassos absque responso in problematibus ipsis manu palpare valeat, lubens libensque ista præter-

co. De cetero de re futurum censeo, mentionem adhuc verbo primarii fidei objecti, Salvatoris puta Carissimi, quo de sat verborum eloqui nequimus, hac occasione injicere. Est ille, qui pro nobis omnibus Deo satisfecit active & passive. Quia igitur veritatis lucem & claritatem tantum pro scopo habeo, nec nudis modo verbis hinc indeque dimicare gestio (quod in praesenti arduo negotio facere religioni mihi omnino duxerim) liceat quaedam clariorem veritatis lucem adspiciendi & hoc loco in medium proferre. Novi communissimam Christi obedientiae distinctionem eam dispescere in activam & passivam. Quo haud dubie factum, ut satisfactionem ipsam modo activam faciant Theologi, passivam modo. Quaeritur: Num haec distinctio satis accurata sit? Quod ad posterius, paucissimos ita locutos esse sentio. Contra omnes pene consentiunt quoad prius. Enim vero si haec sub incudem revoce-
mus praecunte S. Sacra, videbimus, unam tantum Christi esse satisfactionem, actione & passione constantem; nec absolute subscriberem distinctioni obedientiae in activam & passivam. Nam una Christi fuit juxta S. Sacram obedientia, quam Salvator mox agendo mox patiendo declaravit, ita quidem, ut obedientia activa sine passiva, iterum passiva sine activa neutiquam esse possit, potius dicendum, Christum patiendo aliquid egisse, & agendo aliquid fuisse passum. Inspice, introspecte, adspice passionis Christi historiam seu potius totum curriculum vitae in his terris, passionem parvam & magnam, utrumque deprehendes. Quousque ergo distinctio obedientiae seu satisfactionis in activam & passivam, seu actualem & poenalem (quam in totum minime pernego, verum de accuratatione tantum loquor) sese extendat, in apri-
co positum est. Interim certum obedientiae vocabulum plus passionis, quam actionis inferre, cum satisfactio vox mihi activo-passiva videatur. Sufficiat hoc *ὡς ἐν παρόδῳ* dixisse. Ad rem. Quaestio plerumque, quatenus de corpora-
libus

libus bonis intelligitur & in hac restrictione affirmari solet. Enim vero quando *Matth. 9.* paralytici corporaliter & spiritualiter sanati historiam inspicimus, Christum ad fidem bajulorum respicientem dixisse: Peccata tibi sint remissa, videbimus. Ex quo colligere licet, fidem alienam æque in spiritualibus aliis prodesse. Sunt equidem rationes negationis abunde mihi perspectæ, quando alia inter & *v. 2.* fidei illorum paralytici simul fiduciam includi dicunt. *Nisi hic fidem habuisset, non fuisset passus se e tecto dimitti*, ait Chrysostramus, *hom. 3. in Matth.* Sic Lyranus ad h. 1. *non videntur*, inquit, *bene dicere*, qui dicunt, quod illorum tantum referatur ad offerentes, ita, ut per fidem offerentium tantum sit sanatus paralyticus. Idem Cornelius a Lapide, Costerus, Maldonatus, nostratiumque quam plurimi sentiunt, ubi pro concluso plerumque relinquitur illud: Paralyticus propria fide sanatus fuit et vixit. At quid hoc evicere? Salva verborum *Hab. 2, 4.* באמונתו יהיה צדיק veritate dicere fuerim ausus, alienam fidem aliis quoque in spiritualibus insignem afferre utilitatem. Aliud quippe est dicere aliena fide salvari, aliud iterum juvari etiam in spiritualibus fide aliena. Prius negatur, posterius eo minus, quo magis res extra omnem controversiam posita est, alteri aliena fide media salutis quoque a Deo posse impetrari. Exceptio ad *Matth. 9, 2.* supra adducta nostrum assertum minime evertit. Nam posito ac concesso, fidem paralytici ibidem cum bajulorum fide conjunctam deprehendi, nil inde, nisi id, paralyticum cum propria tum aliena fide bona spiritualia & corporalia consecutum fuisse, sequitur. Est proinde iste locus potius contra, quam pro iis, qui omni ex parte alienam fidem in impetrandis spiritualibus resputam volunt.

ART.

ARTICULUS VIII.

DE

BONIS OPERIBUS.

QUÆSTIO I.

Num in bonis operibus fiducia sit collocanda?

RESPONSIO.

SAne rem sine limitatione, restrictione, determinatione, Absolutismo inhærentes si accipiamus, quilibet Papistica detestans somnia negaverit quæstionem. Et profecto unusquisque pro concione aut quavis alia occasione phrasi collocationis fiduciæ in operibus usus sibi sedulo caveat, ne in Romanistarum errorem prolabatur auditoribusque insanam & insulsam doctrinam inculcet. Duo imprimis sunt, quibus audacter satis calumniantur Papicolæ; aut enim nos omnia in totum bona opera rejicere cavillantur, aut religionem suam superstitionum plenam cum nostra contendere satagunt vel in solo de operibus articulo, si minimum tantum ad detorquendum arripere queant. Secundum igitur posterius Veterum haud pauci nobis objiciunt, nos in aliis reprehendere ea, quæ tamen publice ipsi doceremus. Nec diffiteor, præstantissimos nostratum dudum jam de collocanda in operibus bonis fiducia publica verba fecisse. Qua de re tamen illud resonat: Duo cum dicunt idem, non est idem. Conf. *D. Io. Hülsem. Brev. c. 12. ext. §. 13.* ubi duplicem operum fiduciam admittit (1.) *fiduciam status, scil. nos habere veram fidem, presentibus fidei veris fructibus.* (2.) *fiduciam complacentiæ divina, opera scil. nostra placere Deo & gratis ea iri remuneratum.* Colligunt Pontificii: Quicumque fiduciam suam in operibus collocat, ille iisdem in salutem confidit. Quicumque docet,

docet,

docet, bonis operibus salutem acquiri, ille cum Romana Ecclesia idem docet. Quod, cum faciant Lutherani, eosdem in hoc articulo cum Romanis consentire in propatulo est. Et sane videbantur Contradictoria: Omnem fiduciam in sola misericordia Dei ponere, & tamen operibus quoque confidere. Quandoquidem cum misericordia Dei sibi omnem fiduciam vendicet, nulla operibus tribuenda remanebit. Quod ad me, qui solutione corrigiæ calceamenti ejusmodi magnorum Theologorum indignus sum, puto, tales phrasas de operum fiducia in sano sensu utique usurpari posse, quales sunt: In operibus fiduciam aliquam collocare defigereque bona opera ad salutem certo respectu necessaria. At si addita quoque solidissima quadam explicatione sæpius præsertim in rudiorum auribus haud leves excitare soleant turbas (quod Georgii Majoris exemplum satis comprobat,) ego potius ab ejusmodi locutionibus abstinendum svasor fuerim, cum maximam partem dicta talia ἀγχαφα sint, in sensu Papistico ἀντίγχαφα, nec S. Sanctus unquam istis aut similibus fuerit usus. Ansa adversariis calumniandi præbetur, ac si nobismet ipsis in religione nostra constaremus minus, aut quasi alter sic, alter alio loqueretur modo. Res cum ad salutis negotium trahatur, dubio procul dictio talis absolute rejicienda est. Non enim in misericordia Dei, merito Christi & simul propriis meritis fiducia est collocanda. De statu justificationis si nobis sermo sit, phrasis ea tolerabilior erit. Quanquam hanc pro luculentiori habeam: Præsentibus operibus bonis de fide ipsa certissimus esse possum, quæ certitudo alias status fiducia audit. Cetera ulteriori relinquo pensitationi.

DE
APOSTOLIS, IN SPECIE PETRO.

QUÆSTIO.

Num Petrus Apostolus prærogativa quadam præ Apostolis unquam fuerit gavifus?

Varie hoc loco loquuntur Theologi. Multi in majorem forte Pontificiorum errorum detestationem omnem omnino ipsi denegant prærogativam, alii plus justo tribuunt eidem. Personam inter & ipsum officium notum faciunt discrimen, adeo, ut præcellentiam illi quoad personam, neutiquam quoad officium permittant. Sed quid si dicerem, negationem posterioris absolutam sibi constare minus? Notum enim est, Christum Petro primum contulisse officium, *Matth. 10.* vocationis propterea & ordinationis primatu ceteros vere antecellenti & sic quidem omnino certo respectu quoad officium. Distingvendo bene docemus. Aliud igitur est, ad officium primum vocari, officio omnium primo potiri, aliud vi officii jurisdictione in alios gaudere. Prius, non posterius ad Petrum pertinet. Ut taceam, Petrum quoad personam gravem fuisse insignique autoritate polluisse. Excipitur: Sed in Collegio nil potestatis in reliquos habuit? Resp. Id & nos dicimus, sed inde non sequitur, eum omni plane prærogativa fuisse destitutum. Quidam dicunt, competit Petro primatus ordinis, non dignitatis. Quæro, Num quis primus ordine sine dignitate esse queat? Sane Veteres, Petrum Apostolorum principem salutantes, loco excusationis, distinctionis ad dignitatem, exclusa Monarchica potestate, palam confugiunt. Ex quo luculenter satis apparet, in hoc negotio mox affirmari negatum, mox affirmatum negari. Quidam de primatu honoris & ordinis positive simul loquuntur.

tur. Me certe hac in re nulla difficultas, quantam alii fingant, captivum tenet, quatenus aliqualem ante dictum primatum quoad officium & personam NB. Monarchicæ potestati & Jurisdictioni in ceteros e linea contradistinctum concedo, dehinc Patres haud difficulter conciliaturus, v. c. quando Chrysoftomus dicit: *Petrus est inter Apostolos eximius, discipulorum os & ipsius chori vertex.* Hieronymus: *Petrus est Apostolorum princeps.* Basilius: *Petrus est Apostolorum Coryphæus, discipulorum Christi primas.* Quæstio de intensissimo Christi erga Petrum amore, & num ille hunc omnium maxime amaverit, sibi que semper proximum habuerit? h. l. inanis prætermittenda, quandoquidem id juris potius possessorem gremii Christi suavissimi D. Iohannem habuisse e Sacris liquet. Amor contra Petri præcipuus erga Salvatorem præ reliquis elucet æque ex S. Sacra.

ADDITAMENTUM SEU OBSERVATIO QUÆDAM IN EVANG. DOMINICAL.

Novimus ex scriptis eorum, qui in adornandis Postillis toti desudant, & huc usque hinc indeque habitis concionibus, quam plurimos historias in allegoriam quandam inepte mutare parabolæque in Evangelicis textibus per annum contentas in absurdissimum sæpe trahere sensum, ubi commune asylum asininum (absurditate affatim detecta) manet illud: Sic veteres dudum docuisse, nec omnia membra in parabolis commode applicari. Alia inter *Dn. 13. post Trin. ex Luc. 10.* historia de homine graviter sauciato sæpe in allegoriam abire cogitur, adeo, ut scribendo dicendove ea die Domin. plerumque id, quod nunquam Servatori in mentem venit, pro veritate venditetur. E. G. Homo vulneratus & semimortuus explicatur de Adamo ejusque posteris, quis quæso lapsum grandem & errorem pene funda-

funtamentalem non agnoscit? cum Adamus lapsus nosque omnes cum eo quoad vitam spiritualem non semi, sed penitus & totaliter mortui simus. Samaritanus dicitur porro Christus, qui tamen nunquam Iudæorum inimicus, verum amicus & Ioël fuit. Dein scriba in textu Samaritanum imitari jubetur. Sed qua ratione? forte ut alter mundi Salvator existat legisperitus? Sic absurda non modo ista allegorica expositio est, verum, quanta quanta ea, tota quoque Papistica. Sequentia notes: *Adam incidit in latrones (Diabolos) hi semimortuum eum reliquere (quoad vires spirituales) præterit sacerdos cum Levita (lex Mo- sis) absque auxilio. Accedebat deinceps Samaritanus (Christus) & oleum (misericordiam) vinum (sanguinem) infundebat, atque vulneratum (Adamum) equo (humanitati) imposuit &c.* Porro stabulum est Ecclesia, stabularius seu hospes, Petrus &c. Sic sentit Cornelius a Lapide cumque eo lapidei interpretes, quos neutiquam imitemur juxta consilium B. Dannhaveri, Molleri aliorumque solidiorum, Origeni origenaliter hæc talia merito tribuentium. Verba Magni Affelmanni adscribere placuit. *Istud est, dicentis, quod deploro, studiosam juventutem hisce in oris septentrionalibus magnam partem, lectionibus & disputationibus susque deque habitis (non solum juniorum, verum quoque Seniorum & eorum, qui publicis jam officiis funguntur, stultitia admodum deploranda est, utpote qui omnibus ad sacrum munus quam maxime spectantibus posthabitis aliis ab officio plus, quam cælum a terra distantibus se dicant, in graviter mandatis hospites, stipites, trunci, asini manent, de hinc officio sacro die Dominica aliquo modo satisfacturi vel alia quadam occasione se viros præstituri ignorantia magis crassa, quam sufficientis scientia specimina edunt, pro labore mercedis, præmii loco illud percipientes: Si tacuisses, vir mansisses) quam pri-
 primum*

pimum subsellia classica transcendit, Postillis, Postillis unice inbiare, & iis quidem a Poëtis magis, quam Prophetis elaboratis: iis se totos mancipare, maximo sui & Ecclesiarum, quibus præfici eos aliquando continget, damno. Hinc tot audiuntur sæpe textuum detorsiones, absurda plane: Et qui aliter? quum falsa hæc tanquam manna quoddam reconditum & opiparas delicias ad pascendum auditorum animas sacris suis intriverint & aliorum Theologorum scripta, quia minus ad Pelidarum horum stomachum, fastidierint. Satis de hoc. Quilibet equidem verborum suorum æque ac laborum optimus interpres, at non quilibet interpres secundum propriam sententiam optimus statim juxta S. Sacram optimus est interpres. Quilibet istius ductum sequatur, sic nec fallere, nec falli unquam potest.

Dein vel ultima quæstio de Petro Apostolo paucis quædam de noxio Absolutismo monere me adduxit. Eodem plurimorum animos occupatos animadverti, ita quidem, ut quicquid in bibliis lectum, in concionibus auditum, in sacris perceptum fuerit, absolute accipiatur. Sæpe de hac vel illa re disputatur adeo fervide, ut neutra pars alteri ad unguem cedere velit. Finis vitæ citius apparet, quam exitus controversiarum. Quilibet in sua semel sibi proposita sententia firmissime acquiescit, si vel maxime rationes pro adstruenda ea adductæ ne hilo quidem fuerint dignæ. Tu si in disceptationis pertinaciam inquisiveris, plurimos Absolutismi peste infectos postea videbis. Quo malo sublato facili negotio ii, quos antea innumeris parasangis sejunctos a se invicem cernebam, poterunt conciliari. Hæc dum meditor chartæque committo, forte in bibliis evolutis ob oculos versatur textus

D 3

ille

ille Evangel. *Matth. 22. Dn. 18. post. Trin.* quotannis explicari solitus, qui discursum illum Christum inter & Phariseos notatu dignissimum habitum nobis sistit. In fine ejusdem lego Phariseis ab eo tempore sempiternum impositum fuisse silentium, ita, ut postea nemo quid ex eo quærere fuerit ausus. Quæ cum absolute sumseris, dixeris, ergo nunquam postea Pharisei cum Christo colloquia severe, consequenter, hoc colloquium fuit ultimum. At unde mihi hoc probatum dederis? in finem textus immote inniteris, iterum iterumque ejusdem verba prætendens: Ab eo die nemo eum interrogare ausus est. Sed num tu hæc ad Christum retuleris? ego minime. Quæro enim, quare nemo eum compellare debuerit? Aut Christus non voluit, aut non potuit amplius respondere. Posterius absurdum, quia ipsa sapientia erat & ille, in quo habitavit tota Deitatis plenitudo. Et cum jam puer duodecennis doctissimos barbatos Viros instrueret ad admirationem usque nunc ter decennis minimum facile poterat Doctorum perversorum sapientiam insipidam reddere. Prius æque absurdum, quia, qui ipsa humanitas & ad informandum homines missus erat de salute, non poterat esse morosus in respondendo. Nemo ausus est eum amplius interrogare. Forte hæc ad adversarios pertinere autumaveris. Sed in pristina relabor. Aut ii non voluere, aut non potuere alloqui Christum. De posteriori ne quidem fingenda difficultas. De priori sic sentio, iis, qui Christum semper fallere paratissimi fuere, ne unquam quidem ad repetenda scelera voluntatem defuisse. Numne igitur verecundia eos morata est? ane erga Salvatorem reverentia eos detinuit? id ne quidem de illis, quibus pudor periit, cogitan-

gitandum. Quicquid rationis in medium protuleris, confutatum satis senties in ipso *c. 22. Matth.* ubi Pharisæi & hujus farinae homines plures toties, quoties viriliter profligati sunt, impudenti fronte revertuntur. Dixeriſ: Sed clara adſtant verba: Nemo poſtea eum compellare conatus eſt? Reſpondeo: Noli hiſce, quæſo, verbis absolute inhiare, quandoquidem ſubſecuta cruenta paſſio Salvatoris ejuſdemque hiſtoria aliud credere ſvadet, colloquia videlicet plura adverſarios habuiſſe cum Chriſto eademque cum mediata tum immediata. At quis finis iſtius Evangelii tandem ſenſus futurus? Reſp. Cum reſtrictione quadam illa verba intelligenda ſunt, ita, ut nemo poſtea de jure eum hoc modo interrogare debuiffet, quandoquidem de Deitate Chriſti, infinita ſapientia, potentia, virtute ſatis convicti erant hoſtes. Unicum hoc ſufficiat probaſſe, in S. Sacra quædam, quæ videntur absolute dicta, occurrere, eſſi talia ſint minus. Conſulantur Evangeliftæ, qui Chriſtum mox baptizaſſe, mox non baptizaſſe produnt. Sic æque interpretibus reſ plane perſpecta eſt, mox absolute in Sacris dicta comparate, iterum mox comparate dicta absolute ſumi. Etiam atque etiam hæc inculcanda ſunt tam docentibus, quam diſcentibus auditoribus. Illis, ne ſe in periculorum plenos nodos inducant aliisque imponant; hiſ, ne Abſolutiſmo adjurati pro genio quævis aſſumant. Experientia docet, verba miniſtrorum Dei fida ſæpe in peſſimum ſenſum detorquere eos, qui vel odio eorundem clandestino toti flagrant, alio modo in illos deſævire neſcienter, vel additam verborum expoſitionem, prioribus cupidiffime arreptis, minus observant, vel eam quoque imbibentes nihilominus absolute
luto


luto conceptu amissis loco utuntur. In mentem mihi nunc venit concio cujusdam Theologi olim in celeberrimo quodam loco habita. Ille pro more in hodierna vitia grandia vehementissime invehebatur, adeo, ut dura admodum locutione de gratiæ divinæ amissione uteretur. Intererat isti concioni virgo quædam ad Absolutissimum æque haud dubie pronior (quanquam hoc tempore Diabolus quævis pessima suggerat quoque) verba concionatoris alias probe docti statim absolute sumebat, subsequenti explicationi ac consolationi in gratiam pœnitentium additæ minime attendebat, verum verbis durioribus absolute innixa eo tandem desperabunda pervenit, ut idem Ecclesiastes cum cœtu publice pro melancholica persona (sic nominabatur) preces postea ardentissimas fundere cogeretur. Ejusmodi aliaque innumera pericula quicumque mortalium effugere cupit, S. Sanctum ex animo precetur, ut intellectum & mentem ab omnibus præconceptis opinionibus purget, sordes Absolutismi aut cujusvis alius periculosæ impressionis tollat, contra eximiis suis donis animum animamque adornet, clare illuminet, verumque sensum, ad quem constantissime niti queat, tradat in Gloriam ipsius Altissimi Numinis & futuram illuminati salutem!

F I N I S.



Film nicht möglich!

SLUB DRESDEN



3 2316030

Coll. diss. B.42

